



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Iudicijs. Consilium LXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

ex Capellania Lirensi. Atque ita apparet, triplici ratione Impetratam malo iure impetrasse literas inhibitoriales; ratione privilegij exemptionis Ecclesie Antverpiensis de quo non constat; & si de eo constaret, uti non potuisset tempore litis coram Officiali inchoata, propter defectum residentie, & præsupposita residentia illud prorogatione inutile sibi fecisse; & denique quod intra suos fines constructum ad causam Capellanie Lirensis extendi nequeat: sic ut officio Reverendi Domini Abbatis, falsâ Impetrantis allegatione circumventi, incumbat huiusmodi literas revocare & cassare, & Opponentem ab instantia & observatione iudicii absolvere, Impetrante in expensis condemnato.

De Iudicijs.

SUMMARIUM.

Index Ecclesiasticus de rebus secularibus.

1. Index affectibus moveri non debet.
2. Papa subijciuntur omnes Ecclesiastici.
3. Appellari semper potest ad Sedem Apostolicam.
4. Index Ecclesiasticus quando de rebus secularibus iudicet.
5. Mansionarii Ecclesie quamvis laici, quoad iurisdictionem rerum suis sunt Ecclesie.
6. Ecclesiastici possunt sub se habere laicalia tribumalia.
7. Causa Ecclesiastica que.
8. Causa semel coram Ecclesiastico introducta semper manet Ecclesiastica.
9. Appellare à quocumque gravamine quando possit laici.
10. Ecclesiastici quando ut laici censentur quoad res profanas.
11. Intellectus cap. Romana §. debet. de appel. lib. 6.

CONSILIVM LXVII.

MULTIS ac gravibus ipsique falsis criminationibus & delationibus in summam indignationem atque odium apud Dominum Drossardum de Stockhem pertractos audimus Matthiam N. aliosque ipsius confortes litis, quam pendentem habent in appellationis causa coram D. Decano S. Jacobi Lovanientis ex delegatione Apostolica adversus mulierculam quandam, quæ lachrymis suis & in cælum usque sublatis clamoribus omnem hanc invidiam dictis confortibus concitavit. * Laudandum sanè Domini Drossardi propositum, si in hoc incumbit, ne iniquum damnum quis sentiat, l. *Illicitas in princ. De off. presid.* ne à potentioribus humiliores opprimantur, d. l. *Illicitas §. ne potentiores*; ut malis hominibus provincia careat, l. *Congruat. de off. presid.* laudandum si hæc non cæco impetu, si non ad calumnias falsasque delationes aliorum faciat, eorum præcipue, quos res contingit. Excandescere namque adversus eos, quos malos putat, precibus calamitosorum illachrymari, vel improbitati cedere facile, neque constantis, neque recti Iudicis est, l. *Observandum d. tit. l. Nec quicquam §. observare de off. procon. & leg.* Proinde ut ad hanc animi moderationem non tam vocemus, quam retineamus

Conf. Wamel. Tom. I.

Dominum Drossardum in causas tantæ invidiæ & odij, quæ dictos Appellantes in magnum metum comminati carceris & concussionis consuevit, inquiremus; & inquirendo (ut speramus) animum D. Drossardi in diversam partem deducemus.

Intelligimus inde potissimum omnem hanc invidiam & offensam esse exercitatam, & in eam opinionem Dominum Drossardum pertractum, ut omnibus modis id agat, quo Appellantes à perfectione suæ appellationis desistant; quod appellantes hanc causam; quæ de re mere temporali, hoc est fundo seu agro est, ad iudicium Ecclesiasticum pertraxerint, & extra ditionem Leodiensem Lovanij nunc persequantur. Hinc si demonstrare poterimus, Appellantes neque ex loco seu Iudice, neque ex materia, neque in modo peccasse aut aberrasse, non videmus quâ ratione sine læsione iustitiæ, sine crimine concussionis (quod gravissimum & severiore castigatione dignum est, l. *Severiter. C. De excusat. tit. l. Quod evitandum C. de consuet. ob turp. caus. l. Qui officij De contrab. empr. l. 2. de concussion. ac lege Evangelica prohibetur, Luca 6. 3.*) debeat vel possit Dominus Drossardus Appellantes ab appellatione (quod oppressorum in iudicio unicum fere remedium est, l. *x. d. de appellat.*) depellere.

Equidem quod ad locum seu iudicem attinet, arbitramur summam injuriam Appellantibus fieri, si inde adversus eos durius statuendi prætextus aliquis arripatur, aut veluti vindictæ propter læsam temporalem iurisdictionem Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis (in cuius territorio & iurisdictione est pagus de Dillen, ubi bona, de quibus est controversia, sita sunt,) occasio sumatur: * vulgatissimum namque simul & notissimum est, omnes omnino Ecclesiasticas personas, sive Archiepiscopos, sive Episcopos, sive Cathedralis, sive etiam Collegiatis Ecclesias, ceteraque corpora Ecclesiastica immediate vel mediate subijci velut capiti & communi omnium Domino ac iudici, sacrosanctæ Sedi Apostolicæ, c. *per venerabilem Qui sibi sint legiti. e. Antiqua De privileg. c. cum sita ix. q. 3. c. fin. & ibi gl. f. & Panor. de foro compet.*

† Ut & illud ab ipsdem personis & corporibus regulariter, omittis etiam medijs & subalternis iudicibus, si quam sententiam dixerint, ad Sedem Apostolicam appellari posse, atque appellationem ab ijs interpositam, ritè & legitime ad eam devolvi. d. c. *Cum sita c. Ad Romanam 11. q. 6. c. Si duobus c. Solicitudinem. de appellat.* Cum itaque evidentissime ex actis constet, hanc appellationem, quæ præfato Domino Decano per Sedem Apostolicam est commissæ, interpositam esse à decreto lato per Decanum & Capitulum S. Servatii Traiectensis, quos sine ulla probationis necessitate constat esse Ecclesiasticas personas, & jure exemptionis ab ordinarij iurisdictione immediate subiectos Sedi Apostolicæ; inevitabili ratione infertur, appellationes ab eorum sententijs & decretis ad Sedem Apostolicam esse interponendas.

Quam juris constitutionem nihil turbat, nec ut officium suum perdat efficit, quod materia hujus litis sit de re mere reali, ac prorsus temporali inter personas prorsus laicas; nam potest iudex Ecclesiasticus cognoscere & judicare tam in causa

merè reali, quàm personali; & tam super rebus secularibus & profanis, quàm spiritualibus; his, inquam, quæ ad suam jurisdictionem vel ex lege, vel contentione subditorum, vel ex consuetudine pertinent; idque non tantum si clericus clericum, vel laicus clericum; verum etiam si laicus laicum conveniat, licet alioqui regula sit in contrarium *c. Si clericus, c. Licet ex suscepto de foro compet.* Pertinent autem causæ reales civiles seu seculares laicorum ad iudicem Ecclesiasticum variis ex causis; inter quas una est, si laici bona tenent ab Ecclesia in feudum *c. Verum & ibi Panor. De foro compet. c. Ceterum. De iudicij;* quibus proxima sunt bona emphyteutica & censuaria, *Nic. Everardi in locis legal. loco à feudo ad emphy. aut censum.* Cum igitur muliercula illa per appellationem à Scabinis seu mansionariis Curtis S. Servatii in Dissen ad dictos Decanum & Capitulum interpositam, & per eos terminatam, atque etiam specialem frequenterque reiteratam allegationem satis demonstraverit, fundos seu agros controversos in censum à dictis Decano & Capitulo teneri, & sub prædicta eorum mansionem seu Curte moveri, nihil dubitandum, quin à sententia super his fundis dicta, ad Sedem Apostolicam provocari poterit.

Neque hanc considerationem impedit, quod primæ instantiæ iudices merè laici fuerint; quævis enim id negari non possit, si eorum iudicium conditionem simpliciter sine ulla relatione intueamur, aliquo tamen & diverso respectu negari potest; cõsistet, quod sint subditi dicti Capituli, ejusque mansionarij; sic ut bonorum seu mansionis & Curtis (unde indicandi potestatem deservunt & habent) respectu non possint dici omnino subiecti esse superiori jurisdictioni seculari, sed spirituali seu Ecclesiasticæ; quia curia seu mansio, cujus sunt mansionarij ad Ecclesiam pertineat, ideoque ex vi & natura subrogationis & representationis, eodem jure censi debeant, quo illi, quos repræsentant ac referunt, & quorum sunt mansionarij, *l. 1. §. si ac actio & ibi Bar. Si quis testam. lib. esse usus fuerit.*

Et hoc est quod ait Baldus, *in c. 1. de eo qui cur. vendi in usus feud.* Ecclesiasticos posse habere suppositum sibi aliquod inferius tribunal seu territorium ac jurisdictionem ratione bonorum suorum, quibus adherere solet jurisdictio. Et sanè si in hoc peccatum dici posset (quod non admittitur) magis esset dictæ mulierculæ, quæ à dictis laicis ad Ecclesiasticos causam pertraxit, quàm Appellantium, qui non mutatà judicij qualitate ab Ecclesiastico ad Ecclesiasticum provocarunt.

Adjuvantur hæc, quæ diximus, ex eo, quod causa Ecclesiastica variis modis consideretur; non tantum ratione materiæ, veluti si est de rebus spiritualibus, beneficijs, matrimonijs, vel similibus, *gloss. in c. 1. & per totam x. l. q. 1. aut personæ conventæ, ut puta quod sit clericus qui convenitur, c. Clerici. De iudicij;* verum etiam solius iudicis, qui de causa cognoscit, *c. Quanto De iudicij, c. Si diligenti. & Significasti. De foro compet.* sive sit spiritualis sive profana causa; & id quomodocumque iudex Ecclesiasticus de ea cognoverit sive recta & ordinaria viâ, sive per prorogationem, reconventionem, vel (ut est in proposito casu) appellationem.

Vnde semel introductâ hæc causâ in foro atque 8 auditorio Ecclesiastico, hoc est, coram dicto Capitulo S. Servatii, naturam fori immutavit, & Ecclesiastica facta est, in posterum semper per forum Ecclesiasticum iudicem cognoscenda in quacumque instantia; atque ita ab inferiore ad superiorem, id est, Ecclesiasticum, secundum naturam appellationum deferenda; non etiam ad aliquem secularem, qui quantumvis maximus sit, quocumque iudice Ecclesiastico inferior censetur, *c. Solita De maior. & obed. c. Ut nostrum & ibi Doct. De appellat. & causæ cui Ecclesiasticus se immiscuit manum apponere non potest, d. c. Ut nostrum c. Statutum De rescrip. lib. 6.* Atque hinc est, quod Archidiaconus dicat, *in cap. Non ita 11. q. 6.* quod laici possint à quocumque gravamine appellare, quia id permittit Ius Canonicum (licet jure civili, cui aliàs sunt obstricti, id non liceat, *l. Ante sententia C. Quor. appell. non recip.*) tunc cum coram iudice Ecclesiastico litigant sive id faciant ex natura causæ, sive extraordinaria jurisdictione; sive ex causa accidentali, ut ex prorogatione, appellatione, vel reconventione; immutat enim causâ naturam suam ex foro, & pro fori consuetudine ac jure terminanda & decidenda est, *specul. tit. De consil. §. 1. vers. & sunt hæc per c. Cum in agendo 111. q. 8. Hostiensis in Summa. tit. De testam. §. qualiter consiciantur Panorm. in cap. Quod clericis De foro compet.*

Neque audienda erit pars adversa, si conversâ 10 rotâ dicat dictos Decanum & Capitulum censendos esse jure laicorum, propter rem; quasi in bonis feudalibus & censuialibus iudices Ecclesiastici pro laicis habeantur, ac persona Ecclesiastica tali casu iudicetur ut laica & secularis, *d. c. Solita in verb. qui ab eo suscipiunt temporalia de maior. & obed.* Nam quamvis hoc verum esse possit eo casu, quo constat Ecclesiasticos hujusmodi bona habere & tenere à laicis seu secularibus Principibus; alijs tamen casibus censendi sunt ut Ecclesiastici, *Panor. & Felin. in d. c. Ceterum. in fin. De iudic.* sicut est in proposito; nam nec ex actis, nec aliunde constat, & multo minùs præsumi potest, *Panor. in c. Veniens. in 2. notab. De accusat. Felin. in d. c. Ceterum in fin. l. Alius. C. De servitut. & aqua, dictos Dominos Decanum & Capitulum ista bona ab aliquo seculari, jure feudi vel census tenere: sic ut de appellationis devolutione ad Sedem Apostolicam nulla possit esse dubitatio, eoque jure utendum esse tradunt omnes, gloss. & Panor. in c. Cum Ioannes. De fide instrum. Guid. Papa decis. 436. conclus. 7. & in tract. De appellat. q. 119. Panormit. & Felin. in d. c. Ceterum in fin.*

Et ne longiore disputatione contendamus, est 11 de hac re apertissima, nullâ dissimulatione prætereunda Iuris Canonici definitio, *in c. Romana §. debet de appellat. lib. 6.* quæ apertis conceptisque verbis decidit, quod in causis, in quibus Episcopi temporalem jurisdictionem exercent (ut Domini de Capitulo in dicta sua mansionem) ab Episcopis appellari debeat ad Archiepiscopos, & sic ad superiorem Ecclesiasticum; non ad Imperatorem, aut alium secularem Principem; quod intelligit Speculator, *tit. De appellat. §. nunc tractemus in fine* etiam eo casu obtinere, quo Ecclesiastici bona tenent à Principibus laicis. Vnde par, imò major erit

erit ratio appellandi à Capitulo aliquo ad superiorem Ecclesiasticum vel immediatum vel mediatum, hoc est, ad Sedem Apostolicam, quæ iure communi iudex superior est quoad omnes. Sanè quod extra ditionem & territorium Leodiensem commissâ sit causa, reprehensionem non meretur; non enim territorio temporali addicta fuit, sed, uti dictum est, quia translatione à foro laico ad Ecclesiasticum, territorij laici & temporalis angustias evasit, transferibilis effecta est quocumque superioris tribunalis Ecclesiastici conditio postulat, d. §. *debet*. Tantoque minus aliqua hic est reprehensio, quod intra limites Ecclesiasticæ jurisdictionis Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis, hoc est intra diocesis Leodiensem, causam per Sedem Apostolicam committi procuraverint Appellantes; quod secundum terminos Iuris Canonici (cui nullâ parte jus civile derogat) satis est; quia Appellantes & dicta muliercula sub illa eadem sunt diocesi; c. *Statutum* §. cum vero. *De rescript. lib. 6.* Sic itaque arbitramur Appellantes ab hac calumnia sufficienter esse defensos; ut sibi scrupulum facere non debeat Dominus Drossardus, num ex hujus appellationis commissione & prosecutione, quasi ad vetitum examen sine consensu Principis vocata causa, l. *In criminali C. de iurisdic. omnium iudic.* Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis temporalis jurisdictio & superioritas læsa sit; neque Appellantes vano aliquo timore aliquis mali concuti; quia juris executio & usus, injuriam vel delictum non continet l. *In iuriarum* §. 1. *De iniurijs*; infamia l. *Iudici de iniurijs*, l. *Illud* 8. *De appellat.* etenim, & gravis multatæ dispendio l. *Quoniam* 21. *C. de appellat.* afficitur, qui vel convictio vel aliâ ratione appellantis impedimento est.

De Iudicijs.

SUMMARIUM.

Episcopalis audientia.

1. Index Ecclesiasticus in laicos iurisdictionem non habet.
2. Iurisdicção iudicis Ecclesiastici, non etiam laici, per clericum prorogari potest.
3. Audientia Episcopalis differt à iurisdictione.
4. Iurisdicção Ecclesiastica in laicos consuetudine & præscriptione acquiri potest.

CONSILIUM LXVIII.

EX argumentis collectis pro sustinenda jurisdictione Reverendi Domini Commendatoris, Provincialis Baillivæ de Iuncis Ordinis Theutonicorum, & excludenda jurisdictione Ecclesiastica Officialis Leodiensis, tamquam Iudicis ordinarij in dominio temporali de Gruydtroede, non potest commodè constitui status causa, nec certo iudicio illius resolutio proficere; quod ea argumenta iuxta juris ordinem, l. *Si quidem C. de except.* de viribus exceptionis seu defensionis agant, non prius deductâ & fundatâ intentione dicti Domini Officialis in hac causa, ut videtur, Actoris. Consultius itaque fuisset plus operæ ponere in subvertenda Actoris intentione ex suo genere magis, quam ex viribus exemptionis.

Consil. Wamel. Tom. I.

nis, & iure singulari dicti dominij de Gruydtroede quippe dicti Domini Officialis iurisdicção ex juris communis ordinaria potestate non est; † cum secundum regulas juris non magis iudex Ecclesiasticus iurisdictionem temporalem in laicos usurpare possit, quam laicus iudex in Ecclesiasticos, seu Ecclesiasticorum causis, xvi. q. 1. per totum, c. *Novit de iudic.* * hoc ferè solo discrimine, quod clerici secularis iudicis iurisdictionem prorogare, vel in illam consentire non possint; possint autem laici iurisdictioni Ecclesiastici iudicis se subijcere; vel si non iurisdictioni, saltem audientia per speciem aliquam compromissi seu arbitrij, l. *Si qui ex consensu C. de Episcop. audientia.* * Vnde Ecclesiastici iudicis in laicos propriè nulla est iurisdicção, sed tantum audientia, l. *Episcopale C. de tit.* ideoque de *Episcop. audientia*, non de *Episcop. iurisdictione* in Codice Iustiniani est inscriptus titulus. Sed hæc consideratio ad fundandam Domini Officialis iurisdictionem in subditos præacti dominij de Gruydtroede per se sola sufficiens non est; quia audientia dumtaxat volentium, & se subijcientium est; iurisdicção verò etiam in invitos exercetur, l. *Inter stipulantem* 83. §. 1. *De verb. obligat.* † Quamvis interum verum sit iurisdictionem Ecclesiastici iudicis in laicos, ut prærogabilem, præscriptione vel consuetudine etiam in invitos iure ordinario acquiri posse, c. *Cum contingat & ibi gloss. de foro compet.* Proinde id in primis cognoscendum, in quo Dominus Officialis hanc suam Ecclesiasticam iurisdictionem fundet, quæ illi ex ratione juris communis non competit; an id sit ex immemoriali consuetudine, an ex generali subditorum sive conventionem, sive consensu: si enim neutrum horum subest, facile poterit averti illius hæc intentio.

Supradicta argumenta aliquo modo indicare videntur neutrum hic subesse; potissimum propter testimonia non tantum subditorum præacti dominij de Gruydtroede, sed etiam vicinorum dominiorum, non modò exercitam non fuisse iurisdictionem sed etiam intentato aliquando illius exercitio, illi contradicção fuisse, & post contradicção nem per legitima tempora ab usu illius absentum: quæ contradicção, cum tanto temporis decursu, etiam sufficere posset, non tantum ad conservandum exemptionis seu libertatis usum, sed & ad excludendam ordinariam illius iurisdictionem in causis etiam ex iure communi ad illam pertinentibus, l. *ult. in fin. D. de usucap. l. Si quisquam de diversa tempor. præscript. & utrobique gloss. & d. d.* Itaque non potest commodè resolvi, quo loco haberi debeat D. Officialis hæc intentio, nisi prius plenius cognitio, in quo illa fundetur: potissimum quod nihil proponatur de aliquibus exemplis in præcedentibus temporibus in dicto dominio de Gruydtroede per D. Officialem exercitæ iurisdictionis Ecclesiasticæ indifferenter in eo, ut in alijs locis, pagis, & dominij vicinis.